

heretur; ut etiam cumulationi mansuetudinis mensura gratiam pro sceleribus penderet. Etenim pro eisdem etiam ad Proconsulem litteras dedit, quibus eum abstinere a gladii poena pluribus exoravit (a). Sed quid his amplius addidit?

(a) Aug.  
epist. 127.

(b) Aug.  
epist. 178.

Audi quid in dicta ad Marcellinum epistola (b) de Proconsule scribat: Si autem nec litteris meis ad hoc consenserit: hoc saltem praestet, ut in custodiam recipiantur; atque hoc de clementia Imperatoris impetrare curabimus, ne passiones servorum Dei, quae debent esse in Ecclesia gloriosae, inimicorum sanguine deboneffentur. Scio enim in causa clericorum Anaunensium, qui occisi Gentilibus nunc martyres honorantur, Imperatorem rogatum facile concessisse, ne illi qui eos occiderant, & capti jam tenebantur, poena simili punirentur. Haec Augustinus pro editis Donatistis: idemque contestatur quod si ne sic quidem a Proconsule audiatur, saltem id obtineret, ut tres ejusmodi epistolae pro illis a se datae, Actis Proconsularibus ad futuram memoriam jungerentur; licet quatuor eodem argumento in eadem causa extent Augustini (c) epistolae, duae ad Marcellinum ad Proconsulem una ad Apringium (d) Judicem una. Agebat Proconsulem in Africa hoc anno Donatus, vix quidem ob vitam integram magni nominis, ut alia ad eum ab Augustino data epistola (e) docet.

(c) Aug.  
epist. 227.  
258. 159.

(d) Aug.  
epist. 160.

(e) Aug.  
epist. 128.  
VII.

De Macedonii consulatione.

Cum vero non unus Augustinus tantum, sed alii quoque Catholicæ Ecclesiæ Episcopi solerent apud Judices pro condemnatis facinorosis intercedere: Macedonius & ipse Judex, jus gladii habens, eundem Augustinum litteris interpellavit, num acquiescendum esset precibus Episcoporum reis poenam dimitti postulantium; praesertim si probabilis sit conjectura, eosdem in deterius prolapsuros. Extant (f) ipsa Macedonii litterae ad Augustinum, cujus etiam ad illum reddita epistola (g) legitur argumento diserte conscripta: quas tu ipse, si lubet, consule, simulque S. Ambrosii eandem tractantis epistolam ad studium (h) scriptam. Commendat autem idem Augustinus (i) ejusdem Macedonii Praefecti in promulgandis adversus Donatistas edictis exhibitam lenitatem, dum haec recitat, & laudat ipsum in edicto esse praefatum: Pro vobis hoc agitur; pro vobis sacerdotes incorruptae fidei pro vo-

(f) Aug.  
epist. 153.

(g) Aug.  
epist. 54.

(h) Ambros.  
epist. 70.

(i) Aug.  
epist. 12.  
in fin.

bis Imperator Augustus, pro vobis nos quoque ejus Judices laboramus: & alia multa in eodem edicto ita posuisti, ut te appareat in terreni Judicis cingulo non parva ex parte caelestem Rempublicam cogitare. Exhibebantur ejusmodi mansuetudinis officia tum a Judicibus, tum in primis ab Episcopis, ut quos scirent severitate legum obstinatius obrigescere, facilitate, comitate, & benignitate, omni denique studio eos demerere pro viribus laborarent. Praedicata est autem ab ipsis etiam Donatistis Genethlii Episcopi Catholici animi mansuetudo, & gratia illis exhibita: de quo Augustinus: Inde nescio quomodo ventum est ad commemorationem beatae memoriae Genethlii Episcopi, quod nescio quam constitutionem datam contra illos compresserit, & effectum habere non siverit. At de his satis.

Quid praeterea in eadem Donatistarum causa actum sit, accipe. Ut de his jugis memoria penes Catholicos perseveraret, eademque semper recens dimanaret in aures schismaticorum; illud factum est, ut in quibusdam Ecclesiis Africanis eadem Acta publice in Ecclesia Quadragesimae tempore recitarentur: testatur id quidem S. Augustinus, dum id ipsum ut faciat, a Deuterio Episcopo exigit, ubi ait (k): Praesentibus vobis, fratrem & coepiscopum meum Deuterium obstringo, ut quemadmodum sit apud Carthaginem, apud Tagastam, apud Constantinam, apud Hipponem, apud omnes diligentes Ecclesias, sic etiam deinceps facere non pigrescat: Ut annis omnibus, per jejuniarum dies, id est Quadragesima ante Pascha, quando vobis maxime jejunantibus plus vacat audire, eadem Gesta Collationis per annos singulos, universa a capite in finem ex ordine recitentur. Haec Augustinus; qui & in eo laboravit, ut eandem Collationem, quo ab omnibus sine tædio legeretur, redigeret in epitomen, quam Breviculum nominavit, ut ipse testatur (l), absolutam hoc anno, ut tradit in dicta epistola ad Marcellinum (m); ubi de suis hujus temporis lucubrationibus agens, haec ait: Cum enim ab eorum hominum necessitatibus aliquantulum vaco, qui me sic angariant, ut eos nullo modo liceat evitare, nec contemnere oporteat: non desunt quae dictanda propono, sic in articulis temporum constituta, ut dilationem non ferant. Sicuti mihi fuit brevium Gestorum Collationis nostrae satisfactorie

Mansuetudo Christianorum Praefectum.

VIII. Acta contra Donatistas publicari iussa.

(k) Augustinus de Gestis cum Emerito.

(l) Augustinus Retract. l. 2. c. 39.

(m) Augustinus epist. 158.

PAGIUS

gis Commentario tradit, hanc Epistolam ad huius legis interpretationem omnino pertinere. Stilicone siquidem eo anno interfecto, novae per Donatistas turbæ excitatae, quasi eo mortuo legibus soluti essent; ideoque ad eorum commentum dissipandum leges ab Honorio eo anno, & sequenti in eos latae. Decepit Baronium inscri-

ptio Epistolae Augustini CXII. alias CXXVIII. ad Donatum Exproconsulem; in codice enim, quo usus est, legebatur ad Donatum Proconsulem. Quare ex litteræ duobus diversis annis ab Augustino ad Donatum scriptae; & ultima quidem ante diem XXV. mensis Junii anni CCCCX. ut liquet ex lege ad Macrobium Africæ Procon-

sulcum